

valeat? (3.) Secundum qvam naturam Christus sit nostra justitia, an secundum humanam tantum, aut an secundum divinam, an vero secundum utramq;? (4.) An opera bona sint necessaria ad salutem; & an perniciosa? (5.) An Evangelium sit concio pœnitentiae; an vero concio divinæ gratiæ? (6.) Qvodnam sit Legis officium, & quotuplex? (7.) An in S. Cœna verum corpus & verus sangvis Christi verè & substantialiter sint præsentia, atque cum pane & vino distribuantur, & ore sumantur, tam à dignis, qvam indignis? (8.) An inter divinam & humanam naturam in Christo, propter unionem personalem, vera & realis facta sit idiomatum communicatio? (9.) An Christus re ipsa, secundum corpus & animam, ad inferos descendit? (10.) An adiaphora, h. e. ritus indifferentes, salva conscientia, sine opinione cultus & meriti, tolerari possint? (11.) Qvænam sit vera & orthodoxa sententia de Prædestinatione? (12.) Subjunguntur dogmata hæreticorum, qui dissentunt ab August. Confess. Ethic filium hujus historiæ abrumpimus.

### Versus memoriales continentes capita.

F. C.

**S**cripturam fidei Normam Concordia sancit,  
Peccatum, Arbitrium, Justitiamq; docet.  
Post Bonum Opus, Legem, Legisq; didacticas, Cœnam.  
Christum, descensum ad Tartara, Res medias.  
Tandem declarans Æterna Electio quid sit,  
Subjicit Hæreson dogmata falsa simul.

## CONSENSUS PATRUM,

secundum ordinem Locorum Fidei hujus Synopseos  
Theologicæ, qvà flores qvosdam digestus.

### DE SACRA SCRIPTURA.

**D**ivinarum Scripturarum autoritas major est, qvam omnis ingenii  
humani capacitas, Augst. 2. de Genes ad lit. 15. Lib. 9. de C. D.  
cap. 9. Scriptura divina eruditio Christiana continetur.  
Plus credendum simplici Laico, scripturam proferenti, qvam  
toti